Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

diiudicat. atque in his omnibus ea quae secundum naturam sui corporis sunt
adsciscit atque appetit. reicit fugitque contraria. removet se
ab his sensibus certo intervallo temporum. et eorum motus quasi per quas-
dam ferias reparans imagines rerum quas per eos hausit. secum cater-
vatim mittit [miscet] multipliciter versat. et hoc totum est somnus et somnia.
Saepe etiam gestiendo ac vagando facilitate motus delectatur.
et sine labore ordinat membrorum concordiam. pro copulatione
sexus agit quod potest. atque in duplici natura societate atque amo-
re molitur unum. fetibus non iam gignendis tantum. sed etiam fovendis
tuendis alendisque conspirat. rebus inter quas corpus agit. et quibus
corpus sustentat. consuetudine se innectit. et ab eis quasi
membris aegre separatur. quae consuetudinis vis. etiam seiunctio-
ne rerum ipsarum. atque intervallo temporis non discissa. memoria vo-
catur. Sed haec rursus omnia posse animam etiam in bestiis nemo negat.
Ergo attollere in tertium gradum qui iam est homini proprius. et cogita me-
moriam non consuetudine inolitarum. sed animadversione atque signis
commendatarum. ac retentarum rerum innumerabilium. tot artes
opificum. agrorum cultus. extructiones urbium. variorum aedificiorum.
ac moliminum multimoda miracula. inventiones tot signorum
in litteris. in verbis. in gestu. in huiuscemodi sono. in picturis atque
figmentis. tot gentium linguas. tot instituta. tot nova. tot
instaurata. tantum librorum numerum et huiuscemodi monimentorum.
ad custodiendam memoriam. tantamque curam posteritatis. officiorum.
potestatum. honorum. dignitatumque ordines. sive in familiis. sive
domi militiaeque in re publica. sive in profanis. sive in sacris appa-
ratibus. vim ratiocinandi. et excogitandi. fluvios eloquentiae.
carminum varietates. ludendi ac iocandi causas. milleformes
simulationes. modulandi peritiam. dimetiendi subtilitatem.
numerandi disciplinam. praeteritorum ac futurorum ex praesentibus con-
iecturam. Magna haec et omnino humana. Sed est adhuc ista par-
tim doctis atque indoctis. partim bonis ac malis animis copia com

Tci' gd'. mo. tarf